

*Relatio Memorialis, sive libelli supplicis Majestati Sua oblate per Capitaneum Petrum
Ferdinandez de Quir, Super Detectione quartæ Orbis Terrarum parte, cui nomen Australis
Incognita, eiusque immensis opibus & fertilitate,*

Domine:
Ego Capitaneus Petrus Fernandez de Quir dico
hunc esse octavum libellum supplicem, quem Ma-
jestati Tuæ offero super deductione coloniarum
facienda in Terras quas Majestas Tua detegi jussit in tractu
Australiæ incognitæ;

Quod ad regionum istarum noviter detectarum amplitudi-
nem attibet; judicando ex ijs quæ ipsemet vidi, quæque Capi-
taneus Ludovicus Paez de Torres, obedientiæ meæ architha-
lassus Majestati Tuæ exposuit, longitudo earum tanta est, quan-
ta totius Europæ, minoris usque ad Mare Caspium Asiæ, Per-
siæ, omniumque tum Oceani tum mediterranei maris hisce
regionibus adjacentium insularum, Anglia & Hibernia com-
prehensis. Est videlicet occultus hic tractus quarta globi terre-
stris pars, ac tam latè pater, ut in eo verisimiliter possint esse du-
plo plura regna atque dominia, quam sint ea quorum Tua
Majestas hodie Dominus est. Nec habent hæ terræ vicinos
Turcas, Mauros, aliasve nationes vicinis suis infestas. Regiones
nobis conspectæ omnes intra Torridam Zonam sitæ sunt, &
pertingit earû pars usque ad Circulum æquinoctialē, latitudi-
nis graduum 90. vel alicubi pauciorum. Quod si respondebunt
promissis, invenientur profectò terræ, quæ optimis Africana-
rum, toti Europæ, ac meliori Asiæ majoris parti sint antipo-
des.